

vit, ut simus ferendo: quod tamen recondita & occulta ratione ita nonnunquam exsequitur, ut nemo mortalium Dei ista administrantis vestigia, humana ratione persequi possit.

*VER. 15. Ista omnia vidi diebus vanitatis meae, esse justum qui pereat in justitia sua, & esse improbum qui prolonget dies in malitia sua.*

Atquæ hæc omnia non tantum *θεοπνευστως*, sed experientia etiam edoctus propono, quæ angusto hoc vitæ meæ spatio assequutus sum, nominatim illud experientia didici, quod homini animali alienum & absurdum videatur, justum non perire tantum, sed & justitiæ nomine obrui, sicut & improbum comperi, non modò vitam protulisse, sed improbitatis suæ ergò eandem prorogasse.

*VER. 16. Ne esto justus nimium, neque sapere tibi videtur amplius, quare desolationem tibi accerseres?*

Cùm justitiæ nomine pereant, sicut periculi metu à regula justitiæ deflectendum non est: sic stultum est modum in justitia excedere, & specie justitiæ deceptum grave periculum accersere. Quod quò commodiùs declines, vide sis ne nimium prudentiæ tuæ confidas, potiùs memineris ad sobrietatem sapere, quod nisi facis certum exitium te manet.

*VER. 17. Ne improbus sis nimium, neque sis stolidus, quare morereris ante tempus tuum?*

Tamet-